



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Iustinianus in urbe Iustiniana archiepiscopatum constituiu, adscriptus illi septem provinciis. Non constituit jus novum, sed antiquum partim restauravit. Vigilius Papa confirmat quæ Princeps ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

cognitionem Patriarchæ detulit antequam consensum his rescriptis gratiosus præbeat. Sed nemo non videt his interpretationibus Imperatorem & Patriarcham vim apertam Canonibus intulisse, ut Ecclesiam Constantinopolitanam amplificarent.

V I. Mihi verò sincerior videtur esse canonis xvii. Chalcedonensis explicatio, quæ xii. sententiam non lædat; ita ut fixum sit & certum provincias à Principibus in duas metropoles dividi non posse ex illo canone xii. Quam ad rem non pertinet canon xvii. cum eo id tantum cautum fuisse mihi videatur, ut si urbem aliquam de novo conderet Princeps, ad cujus conventum & jurisdictionem pagos aliquot è vicina civitate distractos adjungeret, civili formæ se ecclesiasticus ordo accommodaret; adeoque remota triginta annorum vel longioris temporis præscriptione, pagi à vicino Episcopo avulsi, Episcopo illi tribuerentur in cujus parœcia urbs nova sita est. Vnde sequitur ab Episcopo illius parœciæ, in qua urbs condita est, pagos novæ urbis territorio contributos, & ab episcopatu vicino distractos vindicari, nulla possessionis antiquæ ratione habita. Attamen non conceditur Principi ut novum episcopatum rescripto suo instituat; multò minus, ad omnes urbes quæ civitatis honore decoratæ fuerint à Principe, vel ad provinciarum divisiones & metropoleon dignitates ab eo decretas, trahenda essent; etiam si de episcopatu à synodo instituendo in urbe de novo condita hæc dici possent juxta Zonaræ mentem.

V II. Partes suas Iudices & Concilium Chalcedonense interposuerunt in dirimenda contentione quæ orta erat à multis retro annis ob rescripta elicita ad instaurandum Patriarchatum Hierosolymorum. Quartus honoris gradus, post trium primarum sedium Episcopos, firmatus fuerat Æliæ seu mavis Hierosolymitano Episcopo, canone v i i. Concilij Nicæni. Sed nulla, ne in provinciis quidem Palæstinæ, quæ Cæsareæ Episcopo parebant, auctoritate potitus est, donec rescriptis Principum Phœnicias, Arabiam, & tres Palæstinas à Patriarchatu Antiocheno avulsas obtinuit. Ea res magnos motus in illis provinciis excitavit, qui transactione sopiti sunt quam Maximus Antiochenus, & Iuvenalis Hierosolymitanus, in Concilio Chalcedonensi iniverunt; ea conditione, ut Phœnicia & Arabia Antiochenæ Ecclesiæ redderentur, sed Palæstinæ Hierosolymitano Episcopo cederent. De rescriptis ex utraque parte impetratis, de constituendis novis Dioceseon finibus, & de ordinationibus Episcoporum addicendis

agebatur. Itaque in re mixta, Decretum Principis & Concilij, transactioni firmandæ interponendum erat. Magistratus imperatorij referunt Concilio, sibi mandatum à Principe ut de lite mota cognoscerent, sed Episcopos pacta quædam inivisse quæ videantur æquitate niti, ideoque sibi visum ut communi Decreto firmentur. Recitatis à Maximo & Iuvenale transactionis conditionibus, Legati Romani ceterique Episcopi sua interlocutione, & postremo Iudices suo decreto eas confirmaverunt. *Firma etiam, inquit, per nostrum Decretum & sententiam sancti Concilij in omni tempore permanebit Episcoporum consensio, vacantibus scilicet secundum iussionem diviniissimi & piissimi Principis omnibus pragmaticis, & quocumque modo sacris ab utraque parte literis impetratis; in super & multatione que in eis, hujus rei causâ, noscitur contineri.*

CAPVT IX.

Synopsis.

I. Iustinianus in urbe Iustiniana archiepiscopatum constituit, adscriptis illi septem provinciis. Non constituit jus novum, sed antiquum partim restauravit. Vigilus Papa confirmat que Princeps decreverat. Episcopus Iustiniane, Patriarcha dictus.

II. Iustinianopolis antea quoque dignitate Patriarchali. Sed differt à Iustiniana. Est eadem urbs cum Constantia metropoli Cypri. Ea dignitas personalis collata Joanni Episcopo à Synodo Trullana, consensu Imperatoris.

III. Vtroque Ponto in unam provinciam redacto, nihil immutavit Iustinianus quoad sacerdotia. Nec etiam in Paphlagonia. Solida illius provincie metropolis erat urbs Gangrarum. regia Deiotari. Ea immixta, nova Honoriadis provincia constituta est, cum sua metropoli Claudiopoleos. Rediit in unum corpus Paphlagonia, utraque metropoli salva. Videtur aliquando Paphlagonia adjuncta fuisse Galatia.

IV. Ecclesia Gallicana non passa est à Regibus novos episcopatus institui, quod tentaverat Childebertus Meleduni, ad petitionem plebis.

V. Et Sigibertus id fieri obtinuerat Castraduni in diocesi Carnotena, quod rescriptum à Synodo Parisiensi.

VI. Rogerius in Sicilia episcopatum Troinensem instituit, Messanensi à se restaurato adjunxit, sed Summi Pontificis auctoritate. Vt Otho Gnesnensem in Polonia.

VII. Damnata opinio eorum qui hoc jus Principibus vindicant. Eorum tamen consensus necessarius.

IUSTINIANUS Imperator videtur canones Concilij Chalcedonensis infregisse, cum Iustinianæ patriæ suæ episcopatum in summum sacerdotij fastigium evexit, Archiepiscopi dignitate & auctoritate in septem provincias illi concessa, nempe in

Daciam Mediterraneam, Daciam Ripensem, Mœsiam superiorem, Dardaniam, Prevalim, secundam Macedoniam, & partem secundam Pannoniæ; ita ut Archiepiscopus earum provinciarum Metropolitanis det jura & ordinationes, ipsæque à Concilio suo ordinetur. Fateor has provincias Illyricianæ Ducelesos, distractas ab Ecclesia Theſſalonicenſi. Sed huic novitati eum colorem quæſivit Iuſtinianus, ornandæ patriæ suæ avidus Princeps, quod veterem consuetudinem, quæ bellorum tempeſtatibus deleta erat, restitueret in integrum. *Cum enim, inquit ille, in antiquis temporibus Sirmij præfectura fuerit constituta, ibique omne fuerit Illyrici fastigium tam in civilibus quam in episcopalibus causis, postea autem Aulianis temporibus eisdem locis devastatis, Appenninus Præfectus prætorio de Sirmisana civitate in Theſſalonicam profugus venerat, tum ipsam præfecturam & sacerdotalis honor secutus, & Theſſalonicenſis Episcopus non sua auctoritate, sed sub umbra præfecturæ, meruit aliquam prærogativam.* Quare cum plurimas Illyrici Occidentalis provincias armis recepisset, æquum esse putavit ut his Imperij partibus pristina dignitas sacerdotij restauraretur. Quod Vigilius Pontifex ratum habuit, & Archiepiscopo Iuſtinianæ vices suas delegavit per illas provincias quæ in Patriarchatu Occidentis sitæ erant. Vnde Patriarchæ nomen huic Archiepiscopo datum est à Curopalata & Barlaamo, & subscriptio ejus admissa in ordine Patriarcharum in Trullana Synodo, juxta mentem Illustrissimi Cardinalis Perronij.

II. Quamvis, ut verum fatear, in Synodi Trullanæ subscriptionibus non agatur de Iuſtinianæ primæ Archiepiscopo, sed de Ioanne Archiepiscopo novæ Iuſtinianopolis. Porrò urbs Metropolitana insulæ Cypri, quæ Constantia dicebatur, à Iuſtiniano Imperatore, cui familiare fuit clarioribus urbibus nomen suum imponere, Iuſtinianopolis dicta est. Ejus urbis episcopatum gerebat Ioannes, qui, Sarracenis Cyprum invadentibus, in Helleſpontiorum provinciam unâ cum plerisque insulæ illius incolis commigravit. Quare synodus Trullana de consensu Imperatoris duo quædam in gratiam Ioannis decrevit. Primum est, ut nova Iuſtinianopolis, seu Constantia Cypri, privilegiis sibi à Synodo Ephesina indultis potiat; id est, ut sedi Antiochenæ non subiciatur, sed fruatur plena libertate & *αὐτοκεφαλία*. Quod Trullano canone sic concipitur, *ut illi jus Constantinopolitanæ sedis competat, τὸ δὲ δέχων ἔχει τῆς Κωνσταντινουπόλεως.* Alterum verò beneficium quod Ioanni in-

dulgetur hoc est, ut provincia Helleſpontii pleno jure illi subiciatur, ita ut ipsius quoque Cyziceni Episcopi provinciæ Helleſpontiacæ Metropolitanæ ordinationem celebret. Ex his duobus privilegiis, primum, quod Synodi Oecumenicæ Ephesinæ iudicio nitebatur, ad posteros manavit. Vnde in veteri Notitia temporibus Leonis Philosophi concinnata rectè observatum est insulam Cypri non subesse apostolico throno Antiochiæ. Attamen in Collectione Arabica ordinatio hujus Metropolitanæ tribuitur Antiocheno Patriarchæ. Quæ innovatio accidit post Leonis Philosophi ætatem, id est, post annum nongentesimum. Vnde Collectionis illius Arabicæ tempus colligere licet. Secundum verò privilegium videtur personale fuisse, in gratiam Ioannis Archiepiscopi. Vnde factum ut cum ipsius persona jus quoque illud extinctum fuerit. Quare non erat quòd Balsamo quærendum scriberet quomodo jure illo Archiepiscopus Cypri cecidisset. Ceterum quod attinet ad institutum meum, ex canone Trullano constat novum quendam & extraordinarium imò verò personalem Patriarchatum in provincia Helleſpontiacâ constitutum, collatumque Ioanni Archiepiscopo Cypri; id tamen factum auctoritate ecclesiastica, à plenaria Synodo Orientali, cui Patriarchæ quatuor intererant, quamvis huic innovationi Iuſtiniani Rhinotmeri Principis consensus accesserit. Idque eò facilius tentatum est, quòd dignitas exarchica Metropolitanæ Cypri antea competebat.

III. Ut autem redeam ad Iuſtinianum nostrum, in eo maximopere laudandus est, quòd etsi, ut erat novi juris appetentissimus conditor, multa in provinciis innovavit, singularem tamen curam gessit ne in sacerdotio aliquid mutaretur. Vtrumque Pontum in unam provinciam redegit, ea lege, ut Amasæ & Neocæsareæ urbibus metropolis nomen non detraheretur. *Nihil enim, inquit, circa sacerdotium illarum innovamus.*

Idem jus in Paphlagonia constituit, ita ut etsi illius Edicto gens Paphlagonum in unam provinciam coaluerit, nihil à veteri forma, quoad sacerdotium & duorum Metropolitanorum dignitates, decederet. Paphlagonia testamento Philomenis Regis in Romanam Rempublicam transcripta est, & in provinciæ formulam redacta. In oppido Gangrarum Rex illius gentis Dejotarus regiam constituerat, ut docuit Strabo. Inde Gangrensi urbi conciliata est metropolis totius gentis dignitas, quam in dispositione ecclesiastica constanter etiam reti-

Notitia Antiochæ.
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ

Collectio Arabica
ca. x. x. xvii.

Balsamo ad can.
39. Syn. in Trullo.

Nov. 28. 471. N.
τῆς ἐπιτομῆς
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ

Sextus Rufus.

Strabo lib. 11.

Nov. 11. 471.
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ

C. 11. 471.